

No. 796. 1406. 9. Nov.

*B. Thimo, der vormalige B. Johannes von Kittlicz und der Weihbischof Nicolaus ertheilen denen, welche die Erasmuskapelle auf dem Stolpen bussfertig besuchen, jeder 40 Tage Ablass.*

Nos Thimo dei et apost. sedis gratia episcopus Misnensis, nos Johannes de Kittlicz olim episcopus Misnensis et nos Nicolaus episcopus Cathosiensis supradicti in Christo patris et domini domini Thimonis episcopi Misnensis in pontificalibus vicarius universis et singulis Christi fidelibus per diocesim Misnensem ubilibet constitutis salutem in domino sempiternam. Cupientes populum dei zelo devotionis, indulgentiis et peccatorum remissionibus ad pietatis opera incitare, ut divinae gratiae adeo reddantur proniores, hinc est quod ad preces honorabilis viri domini Nicolai Boblicz decani ecclesiae collegiatae sancti Erasmi martyris in castro nostro episcopali Stolpen et praecipue ob reverentiam — virginis gloriosae matris Mariae domini nostri Jhesu Christi omnibus et singulis Christi fidelibus dictam cappellam sancti Erasmi ad infra scripta humiliter advenientibus confessis et contritis, qui post missarum celebrationem flexis genibus hanc antiphonam sive cantionem, 'Recordare mater domini' etc. cum collecta et suo versiculo de beata virgine Maria decantandam legendam ac orandam causa devotionis advenerint audierint cantaverint legerint oraverint seu praesentibus interfuerint, de omnipotentis dei misericordia et apostolorum eius Petri et Pauli confisi suffragiis nos Thimo episcopus Misnensis supradictus quadraginta dies indulgentiae et unam karenam, nosque Johannes de Kittlicz episcopus nostra auctoritate totidem, et nos Nicolaus episcopus Cathosiensis praefatus similiter totidem in domino misericorditer relaxamus. In quorum omnium et singulorum evidens testimonium praesentem litteram sigillis nostris fecimus appensione muniri. Datum in castro Stolpen anno domini millesimo quadringentesimo sexto feria tertia proxima ante festum sancti Martini.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die Siegel sind abhanden gekommen.

No. 797. 1407. 13. Aug.

*Die Mitglieder des Capitels bestimmen die Reihenfolge, in welcher die jüngeren derzeitigen Domherren aus den niedern Präbenden in die höheren aufrücken sollen.*

Noverint universi et singuli praesentem paginam inspecturi, quod nos Wenceslaus praepositus, Johannes decanus, Caspar de Schonenberg praepositus Wurczinensis, Nicolaus de Gubin archidiaconus Nisicensis, Waltherus de Kokericz archidiaconus Lusaciae, Nicolaus Czigeler custos, Zacharias Sluter praepositus Haynensis, Nicolaus de Heynicz cantor, et Stephanus Moir canonici ecclesiae Misnensis capitulum repraesentantes recognoscimus publice per praesentes, quod cum aliqui canonici ecclesiae nostrae maiores et minores praebendas tam ex ordine receptionis, quam etiam permutationis expectantes a praedecessoribus nostris et nobis recepti iuxta consuetudinem ecclesiae nostrae solitam et inviolabiliter observatam hactenus et praescriptam,